



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De diuina huius episcopi in loquendo libertate. Capvt XXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

THEODOR. HISTOR.

*De Arcadii imperatoris pietate, & Ioannis Chry-
sostomi ordinatione. CAP XXVII.*

Constantinopoli autem, mortuo Nectario, qui illá gu-
bernat ecclesiá, Arcadius, cui illa imperij pars obue-
nerat, cum Ioanné, eximij orbis terrarú luminare An-
tiochiæ in cœtú presbyterorú ascitú intellexisset, accersit
ad se, & ab episcopis in vnú cõuocatis contendit, vt eú cõ-
secrent episcopū, & præclaræ illius vrbis pastorem consti-
tuant. Hoc vno argumêto imperatoris erga res diuinas stu-
dium satis declarari potest. Per idê tempus Antiochiæ an-
tistes fuit Flauianus, Laodiceæ autê Elpidius, qui vixerat
vna cû magno Meletio, eiusque vitæ rationem accuratius
repreſentauit, quã cera formas ab anulis in ea impressas so-
let. Iste magno Pelagio successit: Diuo autê Marcello suc-
cessit Agapetus, vir cû primis excellens, quẽ tempore, quo
hæreticæ ingruiebant procellæ, in palettra monastica mag-
nam laudem adeptum supra demonstraui. Seleuciæ autem
ad radices montis Tauri sitæ episcopus, Maximus fuit Io-
annis illius illustris condiscipulus: Mopsuestiæ Theodo-
rus. Ambo doctores erant insignes. Diuus porrò Acacius
cum prudentia, tum vitæ ratione clarus, Ecclesiam Berceæ
rexit. Galatiæ pastor fuit Leontius, vir multis virtutis ge-
neribus insigniter exornatus.

De diuina huius episcopi in loquendo libertate.

CAPVT XXVIII.

Magnus ille Ioannes, susceptis ecclesię Cõstantinopoli-
tanæ gubernaculis, cœpit iniqua quorundá facinora
grauiter coarguere, imperatoré eiusq; coniugé salu-
tariter admonere, oraré sacerdotes, vt ex præscripto legú ab
ecclesia sancitarú vitá instituât: eos autem, qui istas teme-
re violare aggrediebantur, aditu sanctuarij prohibere. Ná
non est æquum, inquit, vt Sacerdotali honore fruantur hi,
qui vitá eorú, qui sunt verè Sacerdotes, non studiosè imi-
tentur? Atq; hoc modo prospexit, nò illi solú ciuitati, verú
etiá toti Thraciæ, quæ est in sex episcopatus diuisa, & cû-
ctæ etiá Asiæ, quæ vndecim habet antistites. Ponticá præ-
terea ecclesiam, quæ eundem habet episcoporum nume-
rum, quem Asia, eisdem legibus adornauit.

De